

fringendos idoneis subsequi jubet. Ipse ad arma, & commea-
tus in Clissam, dato signo, ex Archiepiscopi oppido inve-
hentos, opemque ferendam cum equitatu substitit. Qui pri-
mi Clissam pervenerant, suburbium capiunt, incenduntque;
qui cum Cesana subsequebantur, trabibus in itinere relictis,
cum post exortum solis supervenissent, discessumque medita-
rentur, eos, re cognita, in suburbia redire imperat. Ipse in-
terim trabes, scalas, aliosque apparatus adduci, ut aperta vi
oppugnatio institueretur, curat. Parva itaque equitum tur-
ma Thronus regressus, Dandinum equitem e Tragurio cum mi-
litum manu per clivum montis ad se venientem offendit, ei-
que per tubicinem, ut Clissam celerrime contendat, seque
cum Cesana conjungat, præcipit. Verum prædæ cupidine in-
solens militum animus cuncta pervertit; nam per Throni se-
mitas, e tumulo præda onusti, vagi palantesque nullis impe-
riis, nullo infamiæ metu se demisere. Ita sæpius Clissa irrita
conatu, militum, vel metu, vel avaritia tentata.

1572

Haud multo post Aloysius Grimanus legatus ad Macariscam,
Illyrici oppidum, in Reipublicæ limitibus constitutum, ex
quo ingens mercium copia ex Thracia, Græcia, Epiro, aliis-
que turcicis ditionibus in Italiam importatur, occupandam se
convertit. Ad portum, situs ratione inspecta, colloquioque
cum peritis locorum habito, comperit, centum ac viginti pas-
suum exciso spatio, Chersonesum, qua statio conficitur, absin-
di a continente, atque in insulæ formam redigi posse; eo fa-
cto, nullo negotio oppido, ac portu potiturum. Itaque mu-
nitionem ad protegendos milites perducere imperat: ei Junium
Pompejum, Comitem Veronensem, militiæ præfecturam geren-
tem, una cum Joanne Baptista Zucco ejus concive, ac Joanne
Baptista Fusbario Brixienfi, cum cohortibus aliquot, Uschoco-
rumque manu, in universum trecentorum ac quinquaginta
præficit. Ipse Jaderam recentia militum subsidia ac flos-
tores ad opus conficiendum missurus revertitur, hostes hyemis a-
speritate ac nivibus, quæ montium itinera oppleverant, ab
ope suis ferenda impediri posse ratus. Sed vix Jaderam
pervenerat, cum repente gravissimo morbo correptus
est: dilati in dies apparatus irritum inceptum reddi-
dere. Junius Pompejus de hostium adventu certior fa-

*Aloysius
Grimanus
Macariscam
invadit.*